
367.







DA BOX

No. 367.





PRIMA DISPVTATIO DE SEXTO PRÆcepto proposita

à

NICOLAO HEMMINGIO, in Iunio. Anno 1571.



HAFNIÆ,
Impreßit Laurentius Benedictj.
1571.



minis p
peranti
corpor

D
pothese
Tempe
Intemp
tiua h

T
dauer
natur
rè/ec
sentit

1.

T sub adulterij nomine, omne intemperantiæ, id est, impuritatis & impudicitiæ genus, quo anima vel corpus hominis polluitur, vetatur: Ita omne temperantiæ genus impuritati animæ & corporis repugnans præcipitur.

2.

Duæ sunt ergo huius præcepti Hypotheses generales, vna affirmatiua, Temperantiam sectator, altera negatiua, Intemperantiam ne sectare. De affirmatiua hac vice dicendum erit.

3.

Temperantiæ bonum nemo satis laudauerit, Est enim Temperantia veluti naturæ custos fidelißimus, quam qui verè sectatur, tranquillum naturæ statum sentit.

4.

Hoc græca appellatione pulcherrimè significatur. Dicitur enim temperantia græcis σωφροσύνη *quasi* σώζουσα φρόνησις, *hoc est conseruans prudentia.*

5.

Huius ratio ex appellatione latina peti potest. Dicitur enim temperantia latinis à temperie, hoc est εὐκρασία *affectuum & actionum temperata ad rectam rationem.*

6.

Definitur autem temperantia in hunc modum. Temperantia est rationis in libidinem atq; alios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio.

7.

Hæc ergo facit vt nihil appetas cuius te pœniteat, vt in nullo legem moderationis excedas, vt sub iugo rectæ rationis cupiditatem frenes.

Cer-

8.

Cernitur autem hæc virtus (quantum quidem ad noſtrum inſtitutum facit) in quatuor partibus, quæ ſunt, abſtinentia, ſobrietas, caſtitas, pudicitia, quæ aptiſsimo ordine ad finem præcepti huius referuntur.

9.

Abſtinentia gulæ aduerſatur, vt quæ vſum potus cibiq́; iuxta rectæ rationis iudicium moderetur, ab ijſq; abſtineat quibus caro ad vllam impuritatem natura hominis indignam irritari poteſt.

10.

Huic ieiunium ſubijcio, quo caro ferocior facta, tanquam freno cohercetur & domatur, quoties aduerſus ſpiritum importunius inſurgit.

11.

Et quia nemo melius nouit propriæ carnis petulantiam, quàm is qui feroci-

entem sentit, nemo ieiunando tempus aut modum rectius præscripserit quam ipse.

12.

Sobrietas duplex est, vna animi, Corporis altera. Vtraq; vt rarissima, ita maximè laudabilis.

13.

Sobrietas animi est & rectus vsus rationis & suauis affectuum moderatio. Huius causa est mens piè recteq; edocta, & asuefactio ad moderationem seruandam in omnibus rebus. Ex quo fit vt hac præditus, consilia & actiones prudenter gubernet, ne quid turpè aut indecorum in vita committat.

14.

Sobrietas corporis est in potu potissimum temperantia, ne eius sit immoderatus vsus, vnde inflamantur impuri affectus. Hæc vt à sobrietate animi venit, ita sanitatem corporis, virium incolumi-

lumitatem & vitæ puritatem conſeruat.

15.

Caſtitas puritas mentis eſt, quæ etiam in corpus dimanat, qua fit vt ab omnj impuritate & contagio abhorreamus, impuram Venerem fugientes.

16.

Neq; enim vera caſtitas corporis eſſe poteſt niſi quæ à càſto proficiſcatur animo, id quod Ariſtoteles intellexit, dum diceret Philoſopho cuidam, caſtis manibus reddentem vrinam ἁγναὶ μὲν χεῖρες, φρὴν δὲ ἔχει μιάσματα.

17.

Quod autem Papiſtæ laudem caſtitatis ſuis impuris Sacrificulis, Monachis & monialibus vendicant, impurum eſt commentum cum recta ratione & verbo Dei pugnans.

18.

Nam caſtitas omnium hominũ eſt qui

à vetita libidine se puros & integros seruant, siue sint virgines, siue Celibes, siue coniuges.

19.

Nam cum Paulus pronunciat piorum coniugium torum honorabilem eße, vt sanctum & impollutum, quis castitatis laudem pijs coniugibus adimere audebit?

20.

Damnandus est proinde & error eorum, qui ad certos hominum ordines castitatem alligarunt, & commentum illorum, qui virginitatem celibatu, celibatum coniugio meliorem tradunt, ac inter opera perfectionis & consilia Euangelica numerant.

21.

Quod autem Paulus 1. Cor. 7. videtur virginitatem præferre coniugio dextrè iuxta mentem Pauli accipiendum est.

Non

Non enim ſimpliciter & omnino antepo-nit coniugio virginitatem, vt meliorem, Sed κατά τι *ob certas ſcilicet circumſtan-tias.*

22.

Siquidem non bonitate operis ſed vſu, non merito perfectionis ſed actionis commoditate virginitas & celibatus an-teponuntur coniugio. Non tamen ſemper neq; in omnibus, ſed tempore neceſsitatis, & in ijs qui donum fortè habent perpe-tuæ continentiæ.

23.

Nam illi qui perpetuum continentiæ donum non habent, regulam Apoſtoli-cam teneant: Propter fornicationem (ſcilicet vitandam) vnuſquiſq; ſuam vx-orem habeat, & vnaquæq; ſuum mari-tum habeat.

24.

Tametſi autem hoc præceptum non

mandat coniugium simpliciter, sed castitatem animi & corporis ab omnibus sine discrimine, requirit: tamen sub conditione omnes ad coniugium obligat, qui donum perpetuæ continentiæ non habent, adeo vt qui contra faciunt, Deum tentare videantur.

25.

Pudicitia virtus animi est, quæ se in vita & moribus contemplandam exhibet. Hæc enim facit vt nos pudeat vel audire, vel videre, vel loqui, vel vllis gestibus ostendere aliquid à vera castitate alienum. Hæc vt à pudore nomen habet, ita pudore conseruatur.

26.

Huius Pudicitiæ indoles est, vt si quis ea præditus, casu vel viderit vel audirit, vel fecerit quod parum castum videtur, mox erubescat, & rubore vultus pudicitiam animi testetur.

Huc

27.

Huc pertinet comicum illud. Erubuit, ſalua res eſt. Et vir quidam Sapiens adoleſcenti in rubore dixit: Confide fili, iſte eſt color virtutis.

28.

Cyprianus ſcribit pudicitiam non in ſola carnis integritate conſiſtere, ſed etiam in cultus & ornatus honore pariter & pudore.

29.

Hactenus de temperantia & eius partibus, nunc autem vt in eius amorem accendamur magis, cauſas eius veras recitabimus.

30.

Prima. Mandatum Dei, is enim ſeriò nobis hanc virtutem in ſua lege præcipit. Hoc Dei mandatum merito nobis eſſe deberet vice mille demonſtrationum. Sola enim ad dictorum confirmati-

mati-

mationem rerum sufficit demonstratio, quando probatio in authoritate dicentis est.

31.

Secunda. Conditio fidei, quam vt indiuiduus comes, timor Dei purus & castus comitatur, qui sine hac temperantia consistere nequit.

32.

Tertia. Cum temperantia sit naturæ custos, naturam effrenem facit, qui temperantiam non maximo sectatur studio.

33.

Quarta. Vocatio nostra, vocati enim sumus ad sanctitatem, cuius præcipua pars est pia temperantia.

34.

Quinta. Precandi forma Christianorum qua iubentur petere voluntatem Dei fieri in terra, quemadmodum fit in

cælo.

cœlo. Nunc autem cum angeli Dej sint maximè temperantes & casti. Petimus conformes illis fieri in temperantia & castitate.

35.

Sexta. Exemplum Christi, à quo Christiani dicimur. Cum ergo is fuit temperantissimus, cuius omnis actio nostri est instructio, decet profectò modo ipsius discipuli esse velimus imitari ipsius temperantiam.

36.

Septima. Ipsa temperantia est per se virtus amabilis, vtpote optima & pulcherrima, vt quæ sua bonitate & pulchritudine merito nos in sui amorem alliciat.

37.

Octaua. Turpitudo & pœna quibus inuoluuntur omnes qui temperantiæ immemores, sese in omne intemperantiæ cœnum fœdissimè immergunt.